

Sane fuit hæc Nostratum Scriptorum vetus prudentia , ut quæ illustranda Patria sua Munimenta ederent , illa nonnisi uni ex Sublimioribus Regni nostri Magnatibus ascriberent : ac Barrius quidem Bernardino Sanctoseverino Besiadentium Principi , Marafiotus Baltasari Milano Georgetentium Marcioni Dignissimis sane Geniis sua de Calabriae laudibus edita munimenta ascripserunt .

Te (Excellentiss. Princeps) Dignitatemque tuam eximiam jure , ergo meritoque obsequii mei religio , & observantia elegit Immortalem Genium , ac plane Inclytum , cui Lucubrationem hanc meam , quæ Calabriae laudem continet nobiliorem , ab ipsa Ingeniorum nobilitate petitam , ascriberem , cuiusque veluti Sacratio ipsa quidem , ceu quoddam Clientelæ Anathema , & propentioris observantiæ Tabula suspenderetur , unde , & diu vita viveret , & insectantium Zoolorum furores feliciter declinaret .

Ac Te , inquam , merito elegi inter Regni nostri Magnates unum ex Summis , quod & Te unum quæ in Optimis Mæcenatibus suspiciuntur , a præclarissimis , scilicet , Majoribus tuis , velut per manus traditas ,